



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



PRÆFATIO.



*Vere recteque Iudex vocatur  
Mundi Gubernator. Talem  
cum omnes agnouerunt sapi-  
entes. Deus iudex iustus, for-  
tis & patiens, nunquid irascitur per singu-  
los dies? ait regius Psaltes. Indicat Deus  
in celo, indicat in terra. Hinc dicitur:  
Et annuntiabunt cæli iustitiam eius, quo-  
niam Deus iudex est, qui superbum Ange-  
lum inde deiecit. Hinc in laudes eius  
excitantur terrigena illis verbis: Exul-  
tate in conspectu eius, turbabuntur à fa-  
cie eius, patris orphanorum, & iudicis vi-  
duarum, quos iniqui oppressum eunt. No-  
li inspicere sacrificium iniustum, quoniam  
Dominus iudex est, & non est apud illum  
gloria personæ. Et Isaias ait: Dominus  
iudex noster, Dominus legifer noster, Do-  
minus rex noster. Ieremias quoque ita lo-  
quentem inducit: Ego sum iudex, & te-  
stis, dicit Dominus. Ut alios quàm pluri-  
mos omittam, Paulus Iudicem omnium  
DEVM nominat.*

L

Psal. 7.12.

Psal. 42.6.

Psal. 67.6.

Eccli. 35.  
15.

Isa. 33.22.

Ierem. 29.  
23.

Hebr. 12.  
23.

X s

Dat.



PRÆFATIO.

II: *Datur autē illi hic titulus ob varia iudicia illius. Nam & Angelos in celo, & & primos parentes in Paradiso, & omnes homines in hoc Mundo, & defunctos post hanc vitam iudicauit; iudicaturusque est omnes aliquando creaturas intellectu præditas, in publico totius Mundi theatro. Hac iudicia enumerauit etiam D. Augustinus, exposuitque illis verbis: Ideò, cum diem iudicij Dei dicimus, addimus vltimum, vel nouissimum: quia & nunc iudicat, & ab humani generis initio iudicauit, dimittens de Paradiso, & à ligno vitæ separans primos homines peccati magni perpetratores: imò etiam quando angelis peccantibus non pepercit, quorum princeps homines à se ipso subuersus inuidendo subuertit, proculdubio iudicauit. Nec sine illius alto iustoque iudicio, & in hoc aëreo celo, & in terris, & demonum, & hominum miserrima vita est erroribus & rumnisque plenissima. Verùm, etsi nemo peccasset, non sine bono rectoque iudicio Deus vniuersam rationalem creaturam perseverantissime sibi domino suo coheren-*

D. Augu-  
stin. lib.  
20. de ci-  
uit. c. j.



## PRÆFATIO.

gentem in æterna beatitudine retineret. Iudicat etiam, non solùm vniversaliter de genere dæmonum atq; hominum, vt miserî sint, propter primorum meritum peccatorum: sed etiam de singulorum operibus proprijs, quæ gerunt arbitrio voluntatis. Nam & dæmones, ne torqueantur, precantur. Nec vtique iniustè vel parcitur eis, vel pro sua quique improbitate torquentur. Et homines plerumque apertè, semper occultè luunt pro suis factis diuinitus pœnas: siue in hac vita, siue post mortem: quamuis nullus hominum agat rectè, nisi diuino adiuuetur auxilio: nullus dæmonum agat iniquè, nisi diuino eodemque iustissimo Dei iudicio permittatur. Sicut enim ait Apostolus: Non est iniquitas apud Deum.

*De primis illis Dei iudicijs alibi iam  
differui; de vltimo, Deo dante, vti &  
de particulari vniscuiusque, post obitum,  
iudicio, breui aliquot libri sequentur:  
de medijs autem sex iam partes dedi,  
seu duos tomos, in quibus ostendi, ad  
Conditorem Mundi pertinere, vt, quod  
sapi-*

III.



PRÆFATIO.

*sapientissimè fabricauit, idem prouidentissimè conseruet, summaq; & iustitia, & bonitate gubernet, nulla Dea, quam vulgus Fortunam vocat, partem regiminis vsurpante, nullis Casibus, nullis Sortibus, nullo Fato, ei quidquam præscribente, aut sceptro eius manum iniiciente. Itaq; tunc præcipuè verum est, magna negotia magnis adiutoribus egere, quando ad immensam potentiam venit. Vnde conficitur, nihil fieri sine Deo. Quod si ita est, vti esse fatentur omnes sapientes, rursus necesse est, omnia, quæ in Mundo hoc fiunt, non fieri nisi Deo perspicacissimè vidente, prouidentissimè disponente, sapientissimè ordinante, iustissimè immittente, vel æquissimè permitte. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem vbique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine ma-*

Sapi. 7.  
24.

CU-



## PRÆFATIO.

eula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Itaque demonstrandum fuit, quomodo hac in Mundo, & partibus Mundi magni vel bonitas, vel maiestas reluce-  
ret; qua ratione item, in paruo mundo, seu homine, ac propagatione illius (qua legitime non nisi per matrimonia contingit) cerneretur, cum fausta quadam, quadam infauſta esse videamus. Denique num Monstra, qua sunt quidam natura errores, & ipsa Naminus bonitatem atque aequitatem commendent?

Hæc omnia vel in vno Iobo, viro simplicitatis generosissima, tanquam in quodam diuini artificij compendio, mortalibus agnosenda proposita sunt. Quamquam neque hæc ipsa omnia sint, quæ in diuinorum iudiciorum thesauro spectari possunt. Longè plura maioraq; restant, vel in ipso quoq; Iobo consideranda, in quibus utiliter scrutandis materiã habet humana admiratio. Nam præter Mundum, & Mundiq; partes, & incolas earum, multa sunt,

IV.



PRÆFATIO.

sunt, quæ hominibus accidunt, non sine  
 nutu diuino, nec tamen perspicuam  
 videntur habere causam, ob quam diui-  
 ni iudicij bonitatem, aut equitatem possi-  
 mus predicare. Sunt enim in Mundo  
 opes, & paupertas; est copia & inopia;  
 sunt deliciae & fames; sunt dignitates &  
 infamia; sunt voluptates & dolores; pax  
 Osee. 3.6. & bellum; sanitas & morbi; vita & mors.  
 Denique si erit malum in ciuitate, quod  
 Dominus non fecerit? ait Propheta. Cur  
 igitur opulentissimus Iob ad incitas est re-  
 ductus? cur eum hostes spoliauerunt? cur  
 de opiparis opsonijs, vino, ornamentis,  
 maxumis optumitatibus ad finem deie-  
 ctus est? cur ignominijs, morbisq; ople-  
 tus? Nonne hæc omnia ei tormenta Or-  
 cus adinuere non potuisset, nisi obtenta à  
 Deo potestate? An quia hæc patitur Iob  
 vir iustus, ideo Deus est iniustus? nequa-  
 quam; sed in his omnibus summa equitas,  
 summa bonitas, summa sapientia conti-  
 netur. Quam sine fictione didici, & sine in-  
 uidia



## P R Æ F A T I O.

uidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati. *Sed à paupertate ordior, quam fames, & despicientia, & plura mala comitantur; ut inopes primo statim in limine reperiant diuinae prouidentiae templum, discantq; ferendo vincere, quod ferendum est.*

*Refert Guilielmus Parisiensis hanc ex Aesopo, de arundine & quercu fabulam. Quercus uehementia uenti contracta fuit, arundo uero illaesa permansit. Admirata igitur quercus contractionem suam, & euasione arundinis, interrogauit arundinem qualiter hoc factum esset? & respondisse fertur arundo: Quia tu praesumens de fortitudine tua uoluisti resistere uento, qui fortior erat te, sicut manifestè ostendit contractio, ego autem cessi humilians me, sic euasi. Eadem fabula extat apud Rufum Festum Auiarum, ubi canna humilis quercui delapsa, & causam sciscitanti, cur tam placidè se in suo statu contineret?*

*Siri-*

V.  
Guili-  
elm. Pa-  
ris. lib. de  
morib. c.  
3.



PRÆFATIO.

Stridula mox blando respondit canna,  
susurro,

Seq; magis tutam debilitate docet.

Tu rapidos (inquit) ventos, sævasque  
procellas

Despicias, & totis viribus acta ruis.

Atqui ego surgentes paulatim demoror  
Austros,

Et quamuis leuibus puouida cedo  
Notis.

In tua præruptus offendit robora nim-  
bus,

Motibus aura meis ludificata perit.

*Hoc volo, ut qui aduersis afflantur ven-  
tis, discant se submittere, non opponere.*

*Præstat flecti, quàm frangi; & pati, quàm  
mori. Quauquam apud quos virtus ra-  
dices egit, immoti perstant. Nam, ut D.*

5. Cypri-  
an. ferm.  
4. de mor-  
tal.

*Cyprianus scripsit, Arbor, quæ alta ra-  
dice fundata est, ventis incumben-  
tibus, non mouetur.*

✽(o)✽

COR.